





1. Boffeck f. Joh. Gottl. diff. de cultu flumi-  
 num Lipsiae 1740.  
 2. Breithaupt f. Joh. Justi diff. Dissertatio de  
 incrementis in Obno et in malo, Halle  
 3. ——— sentar. III de Körpe, Halle 1710.  
 4. Buddei f. Joh. franc. diff. de fragrantia  
 Christi jine 1712.  
 5. ——— ΗΕΡΙ ΤΗΣ ΑΚΠΙΒΕΙΑΣ in  
 vita christiana, jine 1707.  
 6. ——— de libertate cogitandi, jine 1715.  
 7. Burmanni f. Joh. Eberh. diff. de fide  
 Salernitana, Helm. 1682.  
 8. Carpzov f. Joh. Bened. diff. de Chuppa  
 Hebrorum, 1710.  
 9. ——— diff. de religione quietista.  
 rum Lipsiae 1687.  
 10. Carpzov f. Joh. Gottl. diff. de anno Iobie  
 secundum descriptinam Hebrei.  
 rum Lipsiae 1730.

C. 21.

Q. D. B. V.

DISSESSATIO THEOLOGICA

PRIOR

DE

# SANCTIS POIRETIANIS NON SANCTIS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPRE REGIO AC DOMINO*

DN. FRIDERICO AVGVSTO  
ELECTORATVS SAXONICI HAEREDA

ETC. ETC. ETC.

PRAESIDE

MARTINO CHLADENIO  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, EJVSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO, ET ALVMNORVM

REGIO-ELECTORALIVM EPHORO

EXCVTIENDAM PROPONIT

AD D. XXVII. SEPTEMBR.

ANNO M DCC XVIII.

M. CHRISTIAN. GOTTFR. ECCART  
LASTAVIENSIS MISNICVS.

---

WITTEBERGAE, STANNO GERDESIANO.

55  
Discretatio Theologica  
PARVOR  
DE  
SANCTIS  
PORTEGRANIS  
NON SANCTIS  
RECTORE ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMO  
DNE FRIDERICO AVGUSTO  
MAGNO CHILDRENI  
PROTectorate PATRIAE ET UNIVERSITATIS  
EXCELSIORA PROSPERITATI  
M. CHRISTIANI GOTTEREBOCART



MODERANTE CHRISTO!  
DE  
**SANCTIS POIRETIANIS**  
NON SANCTIS  
DISSERTATIO THEOLOGICA PRIOR.

§. I.

Dmodum facile est, sub SANCTI nomine decipi & falli. Multos annumerat sanctorum fastis Romanensis coetus, qui eum censum non merebantur: multos oblivione sepelivit æterna memoria dignissimos. Solo itaque titulo splendido non conficitur Sanctimonia: Altius paucum repetendum est negotium, ut, quis sanctus sit, appareat. Sanctum omni remoto dubio a sacerdotio dicimus, quod lege Dei sanctum ipsique conforme est, imo & confirmatum, comprobatum, omnique ratione velut obsignatum. Nolim vero certaminis aleam subire, an ipsa illa sanctio a sanguine nomen obtinuerit, quoniam non raro foedera ac pacta tum victimarum tum pacifcentium ipsorum cruento effuso vel quantulocunque, fuerunt inita: quod se ita si haberet, equidem nihil haberet incommodi, nihil enim pulchrius dici posset de sanctis atque fidelibus, quam quod sanguine Christi effuso in pactum cum Deo recepti, paratiique sint pro ejus confessio-

fessione atque honore promtissime sanguinem suum impenderet. Ita quoque integrum fuit aliis a sagminibus vocem sancti derivare, quae olim erant verbena aut alia signa, quae Legati Romanorum aliorumque populorum praesertim ferebant, ubi a gente, ad quam missi, inviolabilitatem praetendebant, quod inter alios notavit BENEDICTVS ARETIUS Problem. Loc. XCII. p. 526. Sufficit enim, Sanctum esse nobis hominem regenitum iustificatum, sanctificatum verumque ecclesiae purioris membrum, & illius quidem tum militantis in terris, tum vero triumphantis in coelis, in quo Spiritus S. gratiae suae actus omnes exercet.

§. II. Ita nimirum series habet, ut sanctum dicat scriptura & imputative & inchoative & consummative tales. Prima est altera sanctitas in his terris obtinetur, postrema coelo reservatur. Prima est iustificationis, altera sanctificationis, tertia glorificationis. Omnes sic gratiae applicatrixis Spiritus S. actus in sancto se exerunt, utpote qui soli eum sanctum reddunt, nec ullus hic abest, cum Spiritus Sanctitatis ordine procedat. Unde hominem primum illuminat, mox regenerat & convertit, ac sanctitatem Christi cum merito ejus ipsi imputat ac donat, peccata vero non imputat, sed condonat, iustificatum sibi mystice unit, donisque suis inhabitat, & renovat atque sanctificat, (voce hac preesse sumta, cum alii omnes ante descripti actus notione generali sanctificationis comprehendendi possint) in lucta carnis & Spiritus suscitat, ac subinde victoriam aliquam largitur, atque tandem aeternum salvat; in quo demum momento complementum suum sanctitas nanciscitur, ut velut κατ' ἐξοχὴν sancti dicantur, quorquot jam aeterna beatitudine fruuntur, cum hujus vitae sanctimonia, quantacunque sit, inchoativa recte compelletur, ut quae potius in perpetuo studio & aliquo incremento, quam plenario ejus gradu & summo momento constitut. Ita sanctus erit non saltem generaliter pie vivens, sed speciatim, qui in illuminatione, conversione & regeneratione fidem acceptam exercet, coram Dei oculis propter meritum Christi fide apprehensum pro sancto declaratur, sanctisque ac piis operi

rium

ribus internis atque externis, cooperante Spiritu Sancto, abundare studet, talesque operationes actu producit, quae Deo gratae sunt propter fidem, ex qua propullulant & nascuntur, tametsi imbecillitatem suam & renitentiam pugnaeque intrinsecae vehementiam, etiam dum maxime sanctitati studet, deploret, immo eo sanctior coram Deo habeatur, quo studiosius statum suum examinat, & in quotidianae poenitentiae & reconciliacionis cum Deo exercitio strenue pergit.

S. III. Doctrina haec uti ipsa Christianae religionis & salvificae fidei fundamenta, ut & rudimenta ac elementa constituit, ita universali velut consensu stabilitur. D. LUTHERVS noster in eo totus est, ut hoc evincat, *Sanctos nimirum esse, qui baptizati sunt, in Christum credunt, & in pugna adversus carnem & satanam virtute Spiritus S. strenue resistunt.* Ita eos operose describit a sanctitate fidei & vitae, atque verbis Pauli demonstrat *Com. in Galatas c. V. p. 858. sq. T. VI. Op. Altenburg.* Speciatim *sanc*tum** praesertim ab imputatione sanctitate dici probat. *Comment. in Joelem. eod. T. p. 989, 990.* Notat B. HÜLSEMANNVS, *sanctos seu sanctificatos familiari quadam significacione in Scriptura ut Act. XXVI, 16. 1. Cor. I, 2. dici redemtos, vocatos, regenitos & sanctificatos simul.* Praelect. in F. C. Art. XII, p. 572. B. AFFELMANNVS ita rem explicat: *Sanctorum nomenclatio boni tributa in sacris habet triplicem significationem, I. Generalem, quando integris ecclesiis seu visibilibus coetibus per synecdochem tribuitur, Rom. I, 7. II. Specialem, cum illis Ecclesiae civibus, qui sancta vocatione vocati 2. Tim. I, 9. vere per sermonem Dei Patris Job. XVII, 20. a Spiritu Dei nostri sanctificati 1. Cor. VI, 11. ut sancti sunt sanctitate cum relativa, 1. Cor. I, 30. tum subjectiva, Luc. I, 74-75. 1. Petr. I, 15. adscribitur. Breviter: cum illis competit, qui non tantum sunt in Ecclesia sed & de Ecclesia. III. Specialissimam, cum titulo hoc notantur beati in Domino, Matt. XXVII, 52. Ubi tamen non desunt, qui magis proprio beatos, quam sanctos, eos vocari disputant. Syntagm. P. I. disp. XXV, p. 684. Quibus jungo B. GARPOVIVM: Per sanctos in Symbolo Apostolico intelliguntur*

guntur vere credentes, sicuti in Artic. IIX. per ἐπεξήγησιν id declaratur, qui scilicet corde & fiducia bono justifico in promissione Evangelii oblati adbaerent, sibi applicant, & in eo ad justificationem & salutem suam acquiescunt. -- Uno verbo: Sancti in hoc loco sunt, qui vere credunt, p. 12. retinent purum evangelium, p. 148. sunt viva membra, p. 145. & vivum corpus Christi regno Diaboli contradistinctum. Isagog. in Libr. Symbol. p. 308.

S. IV. His vero fundamentis evertendis uti operam semper navavit Spiritus erroris, ita hoc cumprimis molitur nostra aetate per homines Fanaticos, eosque astutiores, qualem sigillatim deprehendimus PETRVM POIRETVM, qui, prout in reliquis libris, sic praecipue in *Oeconomia divina*, quam vocat, systemate magno errorum periculosissimorum, adeo subruere aperte omnia gratiae media, quae sanctum efficiunt, conatur, eumque ubi videtur nobis perfectissimum SANCTVM delineare, tam turpem & monstrosum nobis depingit, ut revera, si oculis ex scripturae luce armatis intuearis, agnoscas monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum, Polyphemo illi non multum dispar. Ut hoc ex characteribus nonnullis pro brevitate hujus instituti, intra quod constringimur, demonstremus, ante omnia credimus, velut in tuto & confecto in ecclesia puriore haberi, ita ut etiam ab illis, qui in ecclesia alia, quam nostra, vivunt, non prorsus in dubium vocari posit, quod *Sanctus vere talis sit*. I. membrum ecclesiae II. verae III. in veritate coelesti ex verbo Dei instruclum, IV. absque errore crasfore, V. per baptismum in ejus sinum receptum, VI. Sacramento coenae utens, VII. cultui publico sedulo vacans, VIII. ceremonias nonnisi pias & utilles recipiens, IX. ex satisfactione Christi, X. per fidem justificantem XI. remissionem peccatorum a Deo impetrans, XII. quae ejus fides tendit in incarnationem & nativitatem, ut & XIII. mortem ac meritum Salvatoris nostri Filii Dei, XIV. ita ut ante justificationem pro tali haberi non debeat, XV. sed post justificationem denum sancte vivat, et si absque perfecta legis impletione: XVI. Neque etiam talis sit, si peccata mortalia, multo minus si peccatum in Sp. S. commit-

comittat, neque XVII. Enthusiasta esse XVIII. neque, ubi ob peccatum sua, post mortem damnatur pro tali agnoscit, multo minus tandem talis post damnationem infernalem rursus fieri queat. Haec vero omnia quam audacter neget POIRETVS & ubique contrarium statuat, ostendemus ejus ipsiusmet verbis, ut tum appareat Lectori, an causas habeant Novatores commendandi Poiretiana scripta in ecclesia nostra, a qua tales quisquiliae doctrinarum merito dudum rejectae fuerunt, tum etiam animadvertiscatur, unde hodie tam frequentes Indifferentistae, Enthusiastae, Separatistae exurgant, qui sub specie sanctitatis singularis omnem Christianam religionem aggrediuntur, & quando crassis satis calumniis nostram sigillatim ecclesiam prosciderunt, tum demum sibi de sanctorum nomine ac praerogativa gratulantur. Deus autem quia Deus sanctitatis est, omnemque hypocrisim & impietatem abominatur, praefatio sit nostro labori, ut de veritate ejus asserta multi credentes latari queant!

S. V. Primum requisitum Sancti esse diximus, quod a POIRETO impugnatur, ut sit ecclesia membrum: nimur universalis saltem ecclesiae, si non semper particularis; invisibilis, si non visibilis; Christianae nimur, a Christo nomen habentis, quem omnia ejus membra, ubicunque sunt in toto terrarum orbe, unanimiter ex solo verbo Dei praedicato vel lecto cognoscunt, & in eum credunt. Unde facile intelligitur, membrum illud esse, non aliquali *externa pietatis specie* praeditum, sed *vera fide in Christum*, ex eaque non generali quedam de Deo differens, Rom. I, 20. sed ex speciali doctrinam de Christo profitens, & sic etiam, & non aliter de Deo loquens, Act. XVII, 22. 23. eum cognoscens & adorans, non simpliciter & absolute, sed relate atque in tribus personis spectatum Gal. III, 8. Excluditur sic a censu Sanctorum Deo placentium, homo soli religioni naturali vel gentili addictus, qui, quicquid de Deo ex lumine naturae novit, salutariter minime cognoscit, 1. Cor. II, 14. multominus ex illa notitia Sanctitas vera produci aut concludi potest, Ep. Judae v. 10. Quae tamen externa in nonnullis gentilibus effulgens

gens species POIRETVM cum multis aliis fefellerit, ut non erubescat profiteri: Sanctos etiam vere tales esse gentiles, & solam religionem naturalem sectantes. Operosus est in eo persuadendo Lib. III. Oecon. p. 749. Fuisse non tantum, qui Deo respondere potuerint, sed & qui vere ei responderint usque eo, ut interno ejus commercio in fundo cordis sui dignati sint, & primum exemplo probat Melchisedeci, Abimelechi, Jobi, Jethronis, admodum incommode, cum de iis constet, partim eos ex familia Patriarchali fuisse, partim notitiam salutarem ex Patriarchis ipsis, cum quibus conversati fuerunt, obtinuisse. Deinceps vero proprius rei accedit, &, ne putemus, eum de talibus inter gentiles viventibus, qui ex praedicatione verbi fidem acceperint & sic salvati fuerint, ad Diogenem & Epicurum ipsum nos ablegat, & quae de illorum impuritate & mollitie narrantur, fabulas ex odio effectas esse credit, asseritque, Epicetetum vere divinum fuisse senem, & quae hic de Chrysippo, Antisthenes, Diogene, Socrate, Zenone & aliis enarret, atque aliunde consent, se permovere tantum, ut non possit, quin viros illos inter purissimos, SANCTISSIMOS, generosisimos ac vel maxime divinos habeant, ad quos vel hodie medios inter Christianos nostros accendant ulli. Imo profecto illos, pergit deinceps, imo & veneror in Christo, propter divinum verbum, cui in cordibus suis obediebant, peritura omnia contemnendo - - Optarem iisdem perfectionibus ac virtutibus Christianis induitus esse, quibus illi, operationibus Spiritus Dei se committentes, a quo & ad tantam puritatem sunt elevati, neque dubito futurum esse, quando Christus appariturus est, ut illi una cum eo in gloria compareant. Quae de Diogene refert Epicetus, vitae adeo SANCTAE exemplar ostendunt, ut non facile invenias quod AD VITAM CHRISTI proprius accedat - - Si quis oculos aperire voler, facile agnoscer gerium Socratis, qui cum informabat, in viis suis dirigebat, ad virtutem formabat, bonisque & salutaribus consiliis nunquam non insruebat, ipsum bonum Dei SPIRITVM fuisse, cui & VIR SANCTVS sese perpetuo commendabat, Deumque orabat, ut sua ipsi in omnibus adesset gratia, qua

non

non suae propriae, sed divinae, voluntati soli pareret: et quod etiam adeo exacte semper observavit, ut, imminente morte, quam CEV VERVS MARTYR virtutis voluntatisque Dei adiit, defensionem sui suscipere noluerit, PERINDE VTI NEC CHRISTVS, eo quo Spiritus, inquietabat, cuius consilio in rebus agendis utebatur, id sibi non permetteret &c.

¶. VI. Adeo pulchre Puccianismum incrustat POIRETVS, idque non uno in loco, &, ne forte aliquid colorum deesset, ante omnia certum esse putat, essentiam religionis salvificae esse componere ardens Deoque resignatum L. III. p. 716. contra effatum clarissimum Salvatoris Ducisque salutis: *Quicunque crediderit & baptizatus erit, salvabitur, quisquis non crediderit, damnabitur, Marc. XVI, 16.* Et, cum probe videat, etiam ex hypothesi ipsius objici posse, amorem Dei genuinum non esse, nisi qui oriatur ex ejus agnitione, quaē ex verbo ejus concipiatur, audacter hoc negat, eoque dementia delabitur, ut p. eadem dicat: *Quod ipsa lex naturalis, quam vocant, si rem ipsam penitus si me inspicias, ad eandem dictam essentiam religionis reducenda sit, & Christiane religionis nomen mereatur, eo quod ipse Jesus Christus merito, potentia, bonitate ac spiritu suo in animabus omnibus lucens lumina iis ministrat, bonosque motus, quibus obtemperent, tum luminī isti intus adbaarenti.* Ilbi turpisimē oblationem & acquisitionem cum actuali applicatione confundit, omniaque misere satis permiscer, quae Scriptura accurate distinguit: *gratiam prævenientem vocantem, seu lumine suo invitantem cum inabitante, lumen naturae cum lumine gratiae, motus naturaliter seu ethice bonos cum motibus Theologice seu supernaturaliter bonis, obsequium hominis, quod naturali dictamin rationis exhibet, cum obsequio, quod homo renatus Spiritui S. præbet, ipsam rationem cum Christo, hujus bonitatem generalē cum speciali, alia multa, quae instar coqui pessimī male compingit, singitque aliquod lumen gratiae internum, quod in ipso homine sit naturaliter & ita excitetur, citra & extra verbum omne divinum exterius prædicatum.* Nonne, si quae ani-

ma intra se descendens Deo Cordis ibidem praesenti vacet, & inspirationibus ejus ac luminibus locum faciat, sique lux vera, quae omnem hominem in mundum venientem illuminat, ibidem eas ipsas virtutes, quas in propria humanitate produxit, ingeneret, omnia illuc vere Christiana erunt? Ita quaerit, p. 718. Atqui haec conditio nihil prorsus in esse ponit. Nunquam enim evincet POIRETVS abominandum illud assertum, quod Christus in animam gentilis qua talis, interne descendat, inspirationes & lumina sua expendat, imo ibidem eas virtutes producat, quas IPSE IN HUMANITATE SVA produxerit & exercuerit, cum Scriptura disertis verbis fieri posse neget, ut quis Deum invocet, in quem non credat, neque credere possit in eum, de quo nihil audiatur, neque audire potuerit sine evangelii concione externa, Rom. X, 14. Ita enim omnes haec tricæ Fanaticæ in irritum cadunt. Nam eadem conditione utitur in veritate altera, ut nominat: Si quis per sui ipsius inspectionem intra se redire, Deumque ibidem cognoscere, audire atque adorare possit, & divinis ejus motibus se committere, quo tenebrae ac mala, quae in eo insunt, per eos dissipentur, is ceremoniis nullis, (quorum etiam verbum praedicatum refert, conjungit enim revelationem verbalem & ceremonias p. 683.) ad salutem adipiscendam indigebit. Habet enim Deum ipsum, istis omnibus multo digniorem maioremque: Habet Christum, lucem veram, quem in Spiritu ac veritate adorat. p. 718. Nam neque conditionem illamulla specie veri ex Scriptura probabit POIRETVS, neque, si vel maxime id faceret, id evinceret, quod ponit, nam ne tunc quidem verbum externum abesse posset ab homine salvando, propter ordinem a Deo institutum, & naturam hujus medii, quod Potentiam Dei absolutam in hoc salutis negotio excludit.

§.VII. Ita tamen generosi sunt Fanaticorum omnium animi, ut turgidi praetensa Spiritus S. illustratione & immediata dictatione non videant, quid asserat Scriptura, sed quid ipsis videatur. Quod de merito Christi in verbis supra allatis loquitur POIRETVS, quo salvantur gentiles qua tales, subdole & fraudulenter dici-

dicitur, quid enim per Christi meritum intelligat, infra numero  
IX. exponetur, neque admitti ulla ratione potest, cum meritum  
Christi non nisi per fidem applicatum salvet, quam in Gentili-  
bus absque verbo Dei non dari manifestissimum est. Ita ta-  
men scribit, per hoc meritum sine ulla ceremonia, sub quibus  
ipsam verbi praedicationem comprehendit, multos inter genti-  
les Viros sanctos servatos fuisse, dummodo essentiam illam sicutam  
*Christianae religionis* tenuerint, reliqua esse accessoria & acciden-  
talia p. 683. de quo negotio in tertio momento ulterius dispi-  
cietur. Hoc certum est nobis, ex perversissima illa doctrina de  
inspiratione quadam verbi interni etiam hanc pestilentissimam  
de *Sanctis gentilibus* coortam fuisse, ut jam velut Symboli loco  
utrumque profiteantur, quotquot ad eam classem pertinent, imo  
& alii arripiant, qui Fanatici aliqui non sunt. Quibus tamen  
Christianismus verus est merus Gentilismus, & Gentilismus  
rursus Christianismus. Ut alias transeamus, vel duos ex recentis-  
simis Fanaticis audiemus, P O I R E T O quammaxime concordes,  
JOHANNES PORDAGIVS, qui a suis maxime colitur, revocat  
hanc rem ad coelestem quandam tinturam, qua tinti fuerint  
nonnullo gentiles extra verbum Dei praedicatum ejusque noti-  
tiam. Sie hatten, loquitur de Trismegisto, Platone & aliis, das  
ubrprungliche Feuer und Licht der reinen Natur in ihren Seelen  
wohnend, und, weil sie diesem Lichte der ewigen Natur folgten, so führ-  
te selbiges sie zur Liebes-Sonnen-Essenz, und so kamen sie zu der  
Natur Ende, allwo die H. Dreyheit als eine ewige Gottheit in der  
Glorie der Majestät sich dem ewigen Geiste ihrer Seelen offenbahr-  
te, und durch diese Offenbahrung erlangten sie, daß sie Vereini-  
gung hatten mit der göttlichen Natur und derselben theilhaftig  
gemacht worden, also ward ihre eigene Natur verwandelt, und  
göttlich und heilig gemacht, und in dieser Verwandlung funden sie  
das ewige Leben in ihnen herfür quellen, und eine Erlösung von  
ihren Feinden, nemlich von dem Gefängniß des Teuffels, und von  
der Dienstbarkeit und Sclaverey dieser Welt. Und dieses alles  
erlangten sie durch das ubrprungliche Feuer ihrer Seelen, das

nach dem Gesez der Schöpfung in ihnen gepflanzet war, und, weil sie sich dazu kebreten und demselben geborebeten, denn bie-durch geschabe es, daß sie die göttliche Natur des Vaters, Sohnes und Heiligen Geistes in ihnen selbst besaßen, und dieses macte sie heilige und verständige Philosophos. T. III. Tract. V. de Para-diso Ep. XVI. p. 821. Nec aliter se, Soricis instar, prodit, ubi er-rores suos, quibus ante conversionem laboraverit, enarrat JA-COBVS BRILL: Die Jüden, Türken und Heyden bielt ab für entfremte Völcker, nicht eben, daß ich urtheilesete, daß sie ver-dammet wären, denn ich achtete, daß man niemanden verur-theilen müsse, dennoch bielte ich davor, daß sie nicht seelig wer-den könnten, welches eben so viel war, als wenn ich gesagt hätte, daß jemand nicht würde sterben, aber daß ihm das Haupt abge-schlagen würde, worauf der Tode ungezweifelt folgen müsse. Lib. Ein freyer Mensch im Geist p. 80. qui tales flosculos hinc inde plurimos dispergit in libellis scabiosissimis, qui ex Belgico idiomate translati nunc Germanis etiam propinanturn.

VIII. Hos jam Tu habeas sanctos & reputes, quisquis mi-cam habes amoris erga Deum ejusque religionem puram sal-vificam vereque Christianam & Evangelicam, atque hanc reli-gionem magnam & aeternam, ut POIRETVS vocat p. 716. P. I. ipsos etiam gentiles, qua tales, & extra verbi usum spectatos, complectentem, nobiscum potius excreceris, quum, si hoc non sit euangelium, quod Paulus anabemate excipit Gal. I, 8. 9. ego sane ignorem totus, quid hoc nomine venire debeat. Recte dixit aliquando Lutherus: Gott bebüte mich vor Zwinglii Himmel! ubi hic, per gradus ex uno ad alium errorem ductus, tan-dem Ethnicos de fide in Christum alienos in Coelum locave-rat. Ita sane fieri necesse est, ubi semel ab illa acropoli do-ctrinae de Justificatione ac fide in Christum homines delabun-tur ad inanes ratiunculas rationis, quae non raro sub Spiritu S. titulo ipsis imponit, ignesque fatuos pro vero lumine offert, tantoque typho implet, ut se solos sapere asseverent, omnes reliquos pro fungis habeant, quod exemplo POIRETI nostri patet,

pater, qui revera sub Spiritu suo & BOVRIGNONIAE, rationis idolum, loco divini luminis, adorat. Conf. huc quoque, quae monuit D. JAEGERVS Exam. Theol. Mysticae p. 18. sq.

**S. IX.** ALTERVM momentum in eo positum est, ut SANTUS non saltem ad ecclesiam pertineat, verum etiam ut VERAE ecclesiae sit membrum. Si enim falsae se membrum profiteatur, ejusque placita pro suis agnoscat, pro Sancto eum Scriptura non agnoscit. Neque licet hic aut Neutralistam aut Ubiquitistam seu Indifferentiam agere, ut aut nulli, aut omnibus, cum quibus est commercium, ecclesiis se addicat. Opus enim est confessione coram hominibus externa, utramque requirit Apostolus, confessionem oris, & fidem cordis. Rom. X, 9. 10. Quae externa professio cum non semper recitatione publica omnium fidei articulorum fieri possit, palam fieri potest, quid sentiat homo, si se ecclesiae illi jungat, quae veram vel falsam doctrinam publice proponit. Neque magis fas erit, corde credere veram, & ore profiteri falsam doctrinam, cum tales χλωρες Deus ferre nequeat, sed ore suo expuat, hoc est, acerbissime detestetur. Apoc. III, 15. 16. Jungere vero mente sua verum cum falso non minus detestabile est, & tenebras luci miscere laborem parit inanem, multoque magis lucem obscurat, quam tenebras illustrat, 2. Cor. VI, 14. 15. Haec tamen omnia nullo negotio efficere se posse putat POIRETVS, qui SANCTVM suum equidem in omni religione, re ipsa tamen in nulla collocat. Generale ejus assertum est: ubiunque sit quisquis amat, (de religionibus, quod notandum, loquitur,) ibi bene est, Christus ei, quantum necesse est, seipsum revelabit, cumque in via mandatorum suorum ita diriget, ut non modo coeteris malum non faciat, sed & eos juvet, tum per preces pro iis apud Deum, tum alias per vias idoneas. At vero, quamvis nulla necessitas absoluta velit, ut, qui Deum amat, unius potius partis membrum sit, quam alterius, nihilominus tamen vel nativitatis sors, vel rationes aliae, legem ponunt, ex qua homines in certa parte aut coetu manere aut non manere debeant, p. 159. In hoc articulo (de amore er-

ga Deum) quotquot bona fide consentiunt, inquit porro, *ii non adeo distantes inter se videri debent, quam quidem persuadere vellent nonnulli, qui morosius atque par est, omnia gravare ideo amant, ut tum studia sua factiosa, suaque emolumenta, consilia item praeterita sua ac res a se ante gestas, nec non dignitatem atque existimationem, qua in mundo valent, tueantur atque defendant, tum etiam, ne cum rubore fateri cogantur, se olim erravisse, aliosque male in dissensiones abduxisse.* Quae censura p. 160. P. II. L. IV. deprehensa malignum POIRETI animum indicat, quasi non graviores causae adfuerint, quare pii majores tum a Papatu, tum a Zwinglianismo aliisque Sectis periculis se separaverint. *Quomodo possunt bona fide consentire ex stylo POIRETI admodum doloso, qui diversissima sentiunt, & mala fide ab altera parte agunt?* quomodo non distantes sint, quorum fundamentum fidei est diversum? Ita admodum infelicititer conqueritur cum omnibus hypocriticis Indifferentistis: *Nimio plus ritibus passim externis articulisque controversiarum infelicitis simarum inhaeretur; atque bis in rebus conversio facienda multis cum tenebris urgetur, cum tamen verae conversionis initia & progressus in sola morte peccati, & in amore Dei & proximi quaerenda effent.* Quae si vere coram Deo quaererent homines, Spiritus Dei utique coetera omnia ad concordiam brevi atque unionem reduceret. p. 161. Haec enim quam male cohaerent, haud obscure cernitur. Qualis amor Dei exorietur, nisi prius cor per fidem veram purgetur, & quomodo hoc per falsas doctrinas fieri & unio iniri potest, quamdiu illae foventur & inculcantur? Male fert quoque POIRETVS alibi, *unam sectam ab altera non ferri.* Non semel miratus sum, quanta hic coecitas plerosque Christianorum nunc occupatos teneat. -- Adeo omnem salutis spem in externo cultu consistere volunt ac contineri, tam profane obstinati, ut, qui sectam unam proficiunt, alterius sectae alumnos, qui suis ritibus se se conformare detrectant, ad mortem usque prosequantur ac etiam damnent, perinde quasi cultus ille vel Deus sit, a quo salus pendeat, & extra cuius communionem nemo

nemo servetur. L. III, p. 72. Quasi vero, si in solo externo cultu pietas non consistit, in illo plane non quaerenda sit, aut promiscue cuilibet cultui adhaerere liceat, dummodo animo pietatem quis sectetur, quod revera statuere POIRETVM infra n. 8. apparebit: vel quasi sectae solis ritibus discernantur inter se, & non ipsis dogmatibus, quorum genuinis salvandi vis competere debebat, a se invicem distent: Quamvis etiam hic sub nomine ceremoniarum ipsa essentialia cultus intelligere POIRETVM, certum est, qua ratione dementem esse oporteat, qui & eam doctrinam, quam novit verbo Dei esse consentaneam, & eam, quae ipsis non convenit, pari passu ambulare, & utramque habere virtutem salvandi credat, aut potius, quorsum tendit re ipsa POIRETVS, omnes illas doctrinas vel pro meritis opinionibus parum valentibus, vel falsis dogmatibus declareret. Ut enim primum satis frigidum, ita alterum plane ἀθεότι, & summe irreligiosum est.

§. X. Nondum satis audivimus POIRETVM. In omni, inquit, religione, Romana, Lutherana, Calviniana, imo & inter ipsos Gentiles, fuerunt nonnulli vere sancti, verique Dei Filii. -- Non ea, quae parti certae peculiaria sunt ac propria, quaeque eandem a paribus coeteris distinguunt, nos coram Deo aut servabunt aut damnabunt, sed sola religionis Christianae pars essentialis, timor inquam & amor Dei, odiumque sui ipsius atque peccati, homines salvos praestat, & contra, quae huic parti essentiali contraria sunt, veluti impetas, peccatum, amor proprius, ea sola damnant. -- Coetera religionis velut vestimenta sunt, quae diversa materia formisque diversis constant. Quam ridiculus esset, qui contendet, homines vivere non posse, nisi vestimentis utearentur, una quadam materia unaque forma constantibus! quodsi vero ita persuasis, omnes eos, qui non eadem forma vestimentorum secum utearentur, capitibz damnaret, quantae id esset crudelitatis? L. IV. p. 186. Enim vero satis ridicule in re tam feria. In omnibus sectis non nisi exteriorum & accidentale discrimen esse asserit, cum tamen essentialiter & intrinsece differant, imo opponantur, credere & non cre-

dere,

dere, verbo Dei convenienter & non convenienter docere, & id, quod damnat, salvandi virtutem habere nequit. Falsum est igitur, amorem & timorem esse religionis partem essentialē, multo minus conceditur, quod homines salvos praestet, cum ne verbo quidem uspiam hoc scriptura doceat. Vestimento uno ad salutem omnino opus est, nempe fide in Christum, quam vestem nuptiale nisi quis attulerit, foras ejicitur, unde non tam absurdum, una eademque vestis specie omnes electos & fideles vestiri & ornari, ita enim omnes vestibus albis induitos videt Iohannnes Apocal. VII, 9. Non vero hoc intelligendum est de fide solum subjectiva, cum etiam objectiva hic requiratur, sine qua subjectiva ne quidem existere potest. Rom. I, 16. 17. Adeo seipsum prosternit Poiretus in causa pessima audacia miram suam urgens, ut aliquid lucretur. Uno exemplo hoc probabimus. Ubi circa doctrinam ecclesiae nostrae & sectarum diversam de eucharistia occupatur, probeque animadvertisit, sibi opponi posse: *Quis neget hos articulos esse maximi momenti, eosdemque tamen, cum inter se pugnant, simul nec veros esse posse, nec a Deo omnes ratos haberri aut approbari?* Respondet, difficultates omnes, quas hisce in rebus inveniant, non esse revera nisi totidem futilitates inanæ, ab ingenii contentiose congestas, neque tanii esse, ut vel in sermones hominum venire debuissent. Falsum est, homines hic tam longe inter se distare atque controversiarum candidati & doctores animis persuadere contendunt. Praecipua differentia in articulo est de realitate sive praesentia corporali Christi in Sacramento T. II. L. IV. p. 168. Quis ferat temeritatem hanc in ratiocinando, ubi fatetur homo, de realitate & praesentia corporali disquiri, & tamen controversiam maximi ponderis esse non credit? Habeat igitur suam Coenam sibi soli, quae ita οἰδηπόρος est, ut integrum sit, Christi corpus esse praesens, vel minus: Haec enim sententiae portenta hic a tam monstrioso ingenio exclusa fuisse mirum non est, si conferantur, quae n. 6. de Eucharistia disseremus.

§. XI.

§. XI. Non praeter rem a multis jam monitum est, ad ar-  
cana Fanaticismi referri debere, quod diversitatem religionum  
insuper habeat, omnibusque ut placeat, operam det, & jam-  
dudum lectores dubii fuerunt, utrum POIRETVM magis Pon-  
tificiis, an Reformatis accenserent, adeo illis interdum palpum  
obtrudit, magistratique BOVRIGNONIAM, quae illi Religioni  
addicta fuit & mansit, veneratione magna prosequitur. Ma-  
vult vero nulli animo adhaerere, & ex omnibus, quod videatur  
aptum, feligere, uni interea exteriori facie nomine suum addi-  
cere. Nec aliter alii. PORDAGIVS: Hüte dich vor allen Zanck  
über die äußerliche und Buchstählische Form. Ein wahrer Christ hat  
nichts darum er Zancke, denn er stirbet täglich dem Sinn, Ver-  
langen und Willen seiner eigenen Vernunft, und begebt nur  
Gott zu kennen in seiner Liebe, Gnade und Barmbeitzigkeit in dem  
einem Element, und läßt alles Zancken und Streiten über die äu-  
ßerliche Buchstählische Form fahren. Tr. vom Paradiß. c. 14. p. 761.  
In eodem libro invehitur sub figura turris Babel in eos, qui se  
credunt esse in vera ecclesia, also wird dīß äußere Babel aufge-  
baut, da heißt es, wir sind die wahre subtile Kirche auf Erden,  
wer nicht ein Glied der wahren Kirche Christi ist, der kan auch  
kein Glied Christi seyn, außer der Kirche ist keine Seeligkeit zu er-  
langen. Wir haben die rechte Einführung Christi, den wahren  
Gottesdienst, die wahre Lehre Christi die zur Seeligkeit leitet, --  
p. 740. quae omnia de Indifferentismo satis aperte testari pos-  
sunt: ut de aliis nunc taceamus, quos magno numero recen-  
set D. WERNSDORFIVS de Indifferentismo religionum Diss. I.  
p. 69. Eandem lyram tundit JACOBVS BRILL. Ein freyer  
Mensch im Geist läßt sich nichts drangelegen seyn, ob die Strei-  
tigkeiten, so unter denen Völkern und Menschen geschrieben wer-  
den, wohl oder übel gegründet seyn, du erkennest keine wahre Re-  
ligion, als die in den Hertzen aller Religionen gegründet ist, und  
darum gebet er quer durch alle äußerliche Religionen hin, und der-  
weilen sie ihn alle verwerfen, nimmt er dieselbe alle an, aber do h  
nicht nach eines ieden Sinn, sondern in ihrem Ende, darinn sie

alle wohl und gut sind; also, daß indem er keine äußerliche Religion hat, selbige alle besitzt in ihrem Ende, worinnen sie einander begegnen, und süssiglich überein kommen, also daß er als ohne Religion in der Welt lebet, und gleichwohl sie alle annirnat, Lib. der freye Mensch im Geist p. 18. Quibus verbis Indifferentistarum genius, supra depictus, viva velut effigie sistitur.

§. XII. TERTIVM momentum in eo repositum esse diximus, ut *sanc*tus in veritate coeli sit instru*c*ts*. Fundamentum in promtu est. Non enim habet fidem salvificam, multominus veram sanctimoniam, tanquam fidei fructum, qui non habet notitiam sufficientem rerum credendarum. Ita Paulus suorum auditorum causa laetatur, Deoque gratias agit ante omnia pro agnitione doctrinae Evangelicae de Christo. 1. Cor. I, 4. 5. illisque ejus augmenta ex animo precatur, Eph. I, 17. 18. ipsam quoque vitam aeternam in ista cognitione reponi dicit Salvator, Job. XVII, 3. Ut pro S A N C T O declarari non posse, qui in Scriptura & rebus divinis non sufficienter versatus sit, cum merito debeat imbibiri, radicari & firmari fides adversus insultus adversariorum, qui interdum simpliciores animas a veritate coelesti abducunt. Coloff. II, 7. 8. Aliter vero hic sentit P O I R E T V S . Ex illius enim mente S A N C T I P O S S V N T I G N O R A R E L I T E R A M E V A N G E L I I . Si a creaturis aversus veritatem in centro animae lucentem consulet, ad Deum utique, salutemque aeternam ducetur, verusque sit Christianus, licet forte literam Evangelii ignoret: eo, quod lumen in corde ejus lucens sit ipse Spiritus Iesu Christi, cuius efficacia vita, moresque Christi in ipso formabuntur, Christusque in conspicitur. Et, quoniam gratiae istae, quotquot sunt, jam inde ab initio per meritum Christi fuerunt acquisitae, homo ille ita sine ullis ceremoniis per meritum Christi servabitur. P. I. L. III. p. 683. & non minus aperte alibi: Quicquid sit, cognitio Dei & Christi, quae secundum Spiritum est, (non dico, quae secundum literam & historiam) revelationi externae vinculo essentiali non adhaeret ib. p. 753. quia tales noverunt vere Deum per divinam internamque fidei lucem p. 755. Quis dubitet, gentiles sufficienter scripsi ea,*

quac

quae ad salutem necessaria erant, ex sola divina voce in cordibus ipsis loquente? Ergo ne judicio tam inclementi, tam temerario, ut fere sit, illos condemnabimus, eo, quod historicas quasdam circumstantias ignoraverint? Ecquis dubitabit, MAGNAS illas ANIMAS, virtute adeo illustres, radiis solis justitiae incaluisse, quandoquidem versus eum desideria, intelligentiam, amorem ac facultates suas omnes cum omnibus, quos poterant moribus, adspirationibus, conatusque converterint? Profecto, cum fidem vivam operantemque haberent, multum utique proprius ac verius ad lumen ac justitiam Dei accesserunt, quam ii, quibus cognitio quidem literae ac revelationis data fuit, at, clamantibus, domine, respondebit dominus, discedite a me. p. 761. Vides Sanctum Poiretianum absque lectione, meditatione, auscultatione & intellectu scripturae? Munitum suae sententiae repetit ex alio falsissimo principio, quod L. III. p. 765. tanquam veritatem memorabilem proponit. Etiam si quis significatiōē verborum singulorum Scripturae S. juxta regulas hermenēvticas habeat perspectissimam, nunquam tamen eum propterea cogitationem, quam Deus per eadem verba cordi hominum impressam voluerit, in sese habitum. Regulam contrariam & in ecclesia Dei receptam falsissimam & unam omnium pestilentissimam dicit. Egregia interpretatio! pergit, quae sensum divinum Sacrae Scripturae in ratiociniis ac Lexicis indagat. Falsum est verba Dei perinde examinanda esse ac verba hominum. Falsissimum etiam, Deum sermone ita uti voluisse, quemadmodum homines eodem utuntur - - Deus sermonis usum adbibet, non ut in mentibus hominum & in ratione humana ideas verbis illis usū valente respondentes excitet, sed ut in corde humilium ac parvolorum sensus quasdam ac lumina ipse imprimat, quae nunquam subeunt in corda hominum animalium. Unde etiam Criticam & tales disciplinas circa Scripturam rejicit, creditque, Spiritum S. per linguas etiam non intellectas homines convertere, & quae alia sunt plura, Spiritum vertiginis satis dilucide testantia, in quibus enarrandis non immorabimur.

S. XIII. Nullo vero negotio animadvertisit, quam haec

omnia inania & falsissima sint. Dudum enim SCHWENCKFELDVS hunc errorem erravit, *Deum absque creaturis omnibus adeoque sine omnibus literis & verbis hominem convertere*, istudque singulari scripto evincere voluit, quale quid etiam jam quondam tentavit SIMON MARTINVS im Zeugniß daß allein der Herr Christus die geistlichen himmlischen Güter zur Seeligkeit der Menschen gebe, und ohne Gebülfte der Creaturen in der Seele durch den H. Geist selbst austbeile. A. 1547. Aut vero Deus Scripturam frustra plane dedit, quod ne quidem homo fanaticissimus dicere ausit, aut dedit, ut intelligeretur & percipieretur, sonos enim sine mente quis credat dare voluisse Deum? Sunt illae itaque ideae salvificae ideo datae, ut hominem convertant, & fidem generent in animo audientium vel legentium. Quis enim expungat verbi Johannis: *scriptam esse Scripturam, ut credamus*, Job. XX, 31. scilicet eodem medio, non aliunde primum allato. Et quid opus alio Spiritu, quam qui in verbo & per verbum & cum verbo est, cum alias ne quidem sine absurditate excogitari possit. Chimaera itaque est, *veritas salvifica in centro animae extra verbum lucens*, & Boehmianum inventum: & quomodo *Spiritus Iesu Christi in homine potest praeter & extra verbum habitare*, cum neque aliquid de eo nosse, nec eum desiderare possit? Atqui praesentia ejus cognitionem largitur, excipit POIRETVS? *Enimvero debebat nosse, quod non ante notitiam, sed per fidem dicatur habitare Christus in cordibus fidelium*, Eph. III, 17. adeoque tunc *habitare se velle asserit ipse Salvator cum Patre & Spiritu S. in cordibus hominum, quando ipsum ament & verbum ejus servent*. Johann. XIV, 23. Unde falsa sunt fere omnia, quae POIRETVS asserit, quod *Christus in tali homine nascatur, quod vita moresque Christi in illo formantur, quod merito Christi salvetur, quod salvetur sine ulla ceremoniis*, hoc est praedicatione verbi, quam ad ceremonias refert POIRETVS, quod *cognitio Dei secundum Spiritum non sit ea ipsa, quae est literalis & historica, saltem quod haec sit nude & mere talis, quod talis cognitio non adhaereat revelationi externe*

ternae, cum tamen unice ab ea, tanquam effectus a sua causa dependeat: quod in talibus hominibus sit vera fidei lux, quod sufficienter sciverint ea, quae sint ad salutem necessaria, quod divina vox in illis loquatur: quod doctrina de Christo in Scriptura revelata historicas saltem circumstantias complectatur, quas impune quis ignoret: quod tales animae sint magnae, virtute illustres, & solis justitiae radiis incalcentes: quod fidem vivam & operosam habeant, quod proprius ad ipsam cognitionem Dei accendant, quam qui literalem notitiam babent, & impie vivunt. Istaec enim omnia, & multo plura, quae insperguntur, adeo sunt verbo Dei contraria, ut, si vel unum concedatur, universam fidei analogiam alterari sit necesse.

¶. XIV. Miraremur sane, quomodo fieri possit, ut in tantam errorum abyssum animus, vel tantillum sibi relictus, praecipitare se posset, nisi hoc humani ingenii esse vitium meminissimus, ut ipso in errore aliquid voluptatis interdum quaerat, ne forte vulgariter desipuisse videri possit. Atque sic omnia conciliare vel confundere potius conatur POIRETUS, ut a veritate non recessisse, neque tamen cum aliis sensisse, dici velit. *Sanctos enim ignorare posse literam evangelii*, ideo credit, quia jam lumen fidei in ipsorum cordibus naturaliter luceat & habitet, quod Deus sit ipse L. III. p. 685. Et totus est in eo, ut debacchetur adversus illos, qui concedant, Deum esse ratione essentiae praesentem omnibus rebus creatis, ipsique corporeis, ibique operari, hoc tamen in omnibus hominibus fieri non largiantur: quasi vero praesentia illa Dei generalis necessario salutem inferat, cum sufficiat per eam creaturas in esse suo conservari, ut & actionibus, quae cuilibet competit: ut ex Act. XVII, 28. abunde patet. Arguit vero POIRETUS: Certe Deus aut otiosus est ubi praesens est: aut vero ibidem operatur contra naturam facultatesque rerum in quibus est; aut in iis agit, dum illae resistunt atque inhabiles sunt; aut denique agere in iis definit, neque quippiam in eis operatur propter ineptas earum habitudines. Siquis primum dicat aut secundum, is nugabitur impieque ineptet: Qui ter-

C 3 tium,

tium, is aut plura nobis largietur quam volebamus, aut certe  
 tantudem dabit: Qui quantum afferet, tenebitur simul concedere,  
 quod, si inhabilitas illa tollatur per resignationem in Deum, hic  
 non aliter posse, quin in anima illucescat, amorem producat, &  
 bona sua illic effundat. Enimvero in quarto, quod suo modo  
 concedimus, dilemnatis membro, mala fide agit POIRETVS:  
 Ut enim Deus agat in homine, primum inhabilitatem tollendam  
 esse largimur, hoc autem propriis hominis viribus fieri ullaten-  
 nus, negamus. Fit ergo illa sublatio a Deo; Unde vero proba-  
 bit POIRETVS, hanc sublationem fieri immediate? Petit enim  
 principium, si hoc absque argumento affirmet, ut tamen revera  
 facit. Fit igitur mediate per verbum praedicatum, quod adesse  
 POIRETVS ipse negare nequit, ergo aut frustra adest, aut effi-  
 caciā habet. Prius perinde est absurdum assere, quam  
 Deum esse praesentem sine operatione & virtute: Habet igitur  
 efficaciā. Atqui arguit POIRETVS, *incepta est habitudo in  
 homine?* Largimur hoc sponte, quia in eo habitudo activa non  
 requirebatur sed passiva, ut rursus nobis concedit POIRETVS.  
 Omnis itaque actio illuminationis regenerationis & conversio-  
 nis primae, solius Dei & verbi est, qui operatur & nosse & ve-  
 lle & perficere. Neque enim idcirco ob inhabilitatem cessat  
 agere Deus, tum circa hominem, tum in homine, imo eo magis  
 agit, quia inhabilitatem auferendam videt. Quid jam ho-  
 minis est? Anne *resignatio spontanea*, quam fingit POIRETVS?  
 Minime gentium, quomodo enim agere diceretur aliquis in  
*Conversione interne*, sine crasso Pelagianismo, qui se mere *passi-  
 ve* primum habet, quod *quietem ipsum* POIRETVS nominat,  
 l. c. Quid ergo est hominis? Est sane aliquid quod debebit in  
 ejus potestate esse repositum, nimurum quod praescribit Apo-  
 stolus Rom. X, 17. Est illud *auscultatio verbi exterius rite &*  
*pure praedicti*, non falsati aut depravati more POIRETIANO,  
 utpote sine quo illuminatio Spiritus S. nullatenus fieri potest:  
 Quia aliud lumen in tenebris cordis non datur. Istud enim  
 lumen internum ante lumen verbi ad salutem tendens, inane  
 est

est pigmentum cordis Fanatici, sicut etiam falsum est, quod asserit, animam a propriis tenebris pigmentisque suis considerandis debere studia sua revocare, cum, quamprimum verbum Dei praedicari audit, tenebras cordis sui revera agnoscere & possit & debeat, exemplo Augustini aliorumque & foeditatem status sui miserrimi introspicere ac deplorare, quod primum est gratiae divinae praevenientis & praeparantis momentum.

§. XV. Nolumus hic cumulare plura, cum quaedam adhuc de illa *immediata illuminatione* infra numero XVI. dicenda & monenda sint. Sufficit hic monstravisse, in quo coeno erroris haereat POIRETVS, qui SANCTVM suum credit ignorare posse literam Evangelii, & tamen esse habitaculum Spiritus S. vivumque Dei templum. Tales ignari objecti salvifici, quod litera Scripturae Sacrae revera tanquam nucleum sub se complectitur, nunquam poterunt esse ejusdem simul objecti scientes, cum non alio medio Deus velit intellectum nostrum illuminare, quam per notiones ab ipso percipiendas sibique applicandas. Quae perceptio & applicatio idcirco non erit mere naturalis, et si intellectus & voluntas omnino sint & maneant facultates naturales, sed propter sublimitatem *Dei operantis*, medii salvifici & objecti atque effectus revera est spiritualis & plane divina. Unde Enthusiastae quamvis videri velint sublimissimi, astrales, coelestes, & spirituales, omni terra tamen carnaliores & crassiores sunt, quando capere nec volunt nec possunt, quaque ratione Deus per verbum auditum salutem producere posit, cum minor sit difficultas in eo, quam si debeant definire, quomodo illud ex mente ipsorum immediate faciat, ubi inanibus verbis & Ideis lectorem fatigant, & in aere mero tandem se pescatos esse, non raro experiuntur. Et miseri tamen homines rarius ex illis fordibus eluctantur. Audiamus JACOBVM BRILLIVM, qui tandem sanctus POIRETIANVS factus, errores olim suos, quos putat tales, describit: *Der erste Haupt-Irrthum, worinnen ich geslecket, ist gewesen ein Grund Mißverstand, wegen des ersten Grund Anfangs, daraus ich die Gewißheit der Dinge,*

so zu meiner Seeligkeit nötzig, bolen muſte. Denn ich meinte, das äußerliche geschriebene Wort ſey die einzige wesentliche, vollkommene, klare und allerhöchſte Regel meines Glaubens und Lebens, ſo daß ich nichts annahm, wenn es nicht darinnen gelesen oder daraus bewiesen werden könnte. Freyer Mensch im Geiſt p. 78. & p. 79. Gleichwie es ſo mit mir gieng in den Sachen der Erkäntniß und des Glaubens, also gieng es auch mit mir den Weg meines Lebens nicht ein Haar beſſer, denn ich meinte, die Unigenden, ſo in mir lebten, durch den todten Buchſtaben zu tödten, und die Tugenden, welche in mir todt lagen, durch die lebloſe Schrift zu erwecken, welches eben ſo viel war, als wenn ich naſſes mit Waffer trocken, und heiſſes mit Feuer abkühlen wolle, p. 44. Ich wußte viel Buchſtaben, Syllaben Worte und Sachen, aber der rechte Verſtand Sinn und Meynung war vor mir verborgen & p. 49. Ich wußte von nichts anders als einen fleiſchlichen und äußerlichen Christum und Seeligmacher, aliaque multo plura, quibus conſtat, fanaticos homines credere, quod possint Sancti imo debeant omni cognitione per Scripturam & ex Scriptura comparata abſtinere, & ſoli interiori & immediato inspirationi operam dare, quod ſufficiat, tametsi homo literae Scripturae omnium fit ignarissimus. Quae ſententia plusquam carnalis & diabolica eſt, quod noſtrates adverſus illam cohortem ſaepius demonſtrarunt, quid enim turpius quam negare, Scripturam eſſe regu-  
lam unicam credendorum & agendorum?

§. XVI. Properamus vero ad alia. Diximus quarto, SANCTVM verum Deoque placentem eſſe immunem a crasforibus erro-ribus. Hujus asserti rationes in Scriptura adsunt luculentae, ſimul tamen notamus, cum errores in rebus fidei non unius ordinis & ponderis ſint, de gravioribus eſſe sermonem, qui fidem evertunt, ac quomodo cunque, etiam indirecete, vellcant. Articuli fundamentales, verba ſunt DANNHAVERI Theologiae conſcientiae P. I. p. 77. poſt factam revelationem, ſalvo ſalute, nec ignorari, nec negari poſſunt: non ignorari, quia Deo profectum in bono debemus Matib. 25, 14. nec negari, quia qui negat, unum ar-  
ticu-

ticulum, negat omnes; sicut, qui solvit unum catenae annulum, omnes solvit. Talis igitur, qui ea, quae ad fundamentum pertinent, ignorat, de quo in antecedentibus actum, aut graviter in iis errat, nec errorem corrigit aut corrigeret studet, in damnabili statu versatur. Perniciosum hoc malum est, pergit idem DANNH AVERVS, vir solidi & subacti admodum judicii; Nam si infidelitas privativa damnat eos, qui foris sunt, quidni multo magis ignorantia uacuè dicitur, error positive contrarius, in tanta luce supinus, apud eos, qui cives Ecclesiae videri nolunt? Error, qui fundamentaliter articulum aperte ferit, plus habet veniae, si non dum vel sufficienter revelatus est, vel declaratus, non item, si revelatio & declaratio facta sit. Licuit Nathanaeli errare circa personam Iesu Nazareni, salva salute: non licuit post resurrectionem Christi & prædicationem Apostolicam, qua illuminatissime toti orbi patuit, Iesum Nazarenum esse Messiam p. 103. Praemitendum hoc necessario est, ut appareat, errorem equidem non omnem esse damnabilem, neque tamen etiam omnem esse excusabilem, multominus etiam a SANCTO, vere & qua tali, committi posse. Ita docet Paulus, qui Crentenses vult esse sanos in fide neque a veritate vel tantillum averti, alioqui nominat eos perver-  
sos, & impuros idque totaliter, Tit. I, 13. 14. 15. Quomodo igitur tales queant esse SANCTI? Sequenti capite III. injungit Tito dicitur inculcationem dogmatum firmam & immotam, & negat, alias prodire posse statum genuinum bonorum operum. Tit. III. v. 8. Vult Petrus omni contentione, ut fideles se præmuniant, ne per errorem ultum seducantur, & ex munimento vel præsidio fidei suae deficiantur. 2. Petr. III, 17. Sanctus itaque errans in fundamento fidei est σιδηρέξιος, quorsumcunque rem vertamus.

§. XVII. In omnia vero alia hic abiit P O T R E T V S, & in tam pestilentibus venenis spargendis occupatur, ut non sine horrore eum intueamur. Quando semel eam sententiam assumit, in omni religione posse aliquem salvari, in omni coetu etiam, qua tali, vel tali religione, prædicto vere SANCTOS dari credit, neque impedimento esse errores satis graves, quibus imbuti sint,

D

adeo

adeo, ut etiam homines alii religioni addictos, suosque errores non amplectentes acerbissime damnent, salva sanctitate. Quis mirabitur, inquit, sanctissimos quosque, quibus inde a primis annis inculcatum fuit, eos, qui in alia platea, regioneve urbis magnaे habitant, aut qui media in urbe separata sibi castra domiciliaque fecerunt, esse Dei hostes, homines impios & Christianae rei pestes, non posse, quin eosdem extra viam salutis esse existiment, talesque qui, nisi mutentur, servari non possint? Imo vero sancti, qui istiusmodi praecuditiciis occupati tenentur, eam, quam habent sententiam, habere debent. L. IV. p. 188. Et cum facile praevideret, objici posse, cum illi putatirii Sancti lumine interno gaudeant, quidni alias, an sancti sint, nosse possint & ab errore tanto sint liberi? astute admodum respondet, Deum sanctis istis errores ejusmodi relinquere, quibus charitas eorundem necquam laedatur; quoniam eorum, quos ad perditionem ruere credant, miserentes, Deum pro iis deprecantur, ut videre sit in Sancta Theresia, (quam alibi virginem admirandam nominat p. 166.) quae rata, Lutheranos omnes a statu salutis abesse, tam ardenter Deo pro iisdem supplicaverit. p. 188. Ut rem emolliat, tales errores, nunc errores facti nominat, nunc hallucinationem, quae in animabus quibusque sanctissimis adesse sic possit, ut tamen sanctitati eorum nihil hoc nomine decedat. p. 167. Atque sic non fuisse peccatum, quando adeo laudata THERESIA Lutheranos haereticos infelicissimos aestimet l. c. Et ut speciem quandam inducat, porro quaerit, quare Deus Sanctos subs relinquit in similibus circa rem facti erroribus, & non revelet illis veritatem? ac respondet, fieri istud propter salutem infirmorum, inter quos erant, & Deo lucrificiant, neque in suspicionem veniant, ipsos quoque esse haereticos, atque ad mortem abripiendos: unde saepius multorum fides ita penitus concidisset. Errorum itaque facti saluti tot animalium promovendae fuisse utillem & necessarium. Unde non mirum esse, quod Deus iis reliquerit illum errorum, una cum aliis imperfectionibus ejusdem naturae, ut, quod plus nimio directoribus suis, aut observationibus nonnullis adhae-

adbaereant. Deum enim ignorisse Judaeis crucifigentibus filium ex ignorantia, & sic non imputare errorem facti cum charitate coniunctum in filiis suis T. II. p. 189. 190. Adeo praeterea audaculus est POIRETVS, ut Gentilibus aliquis non nocuisse statuerit in salute vel Sanctitate, quod de IMMORTALITATE ANIMAE dubitaverint. Ponamus inquit, quod minus asseveranter de ea locuti fuerint, ajo id in illis majoris esse virtutis indicium, documentumque, privatae utilitatis studium non ita in illis dignissimum, quam quidem in iis, qui omnia propter mercedem agunt. Nullum est dubium, quin is, qui Deum constanter amat ac laudat, etiam si in nihilum redigendum esse putaret, majorem animi puritatem habeat, quam qui cogitatione mercedis tantum facit. Imo Deo ipsi causam erroris haud obscure adscribit: Quae causa est, quare Deus, quando suos purificat, sensum spei ad tempus suppressimat. Addo, dubium hoc, quatenus refertur ad cessationem rationis humanae atque imaginationis, non omnino fundamento carere. T. I. p. 758.

§. XVIII. Agnosces facile plaustra novae doctrinae, quae unquam fuit, perversissimae. Ut a postremo incipiamus, dubia, quae ille ipse habet POIRETVS de cessatione rationis in vita aeterna, & L. I. c. XXI. p. 305. sq. exponit, ab aliis vel forsan nobis ipsis excutientur. Certum vero est, errorem, quem sub dubio nomine proponit, de mortalitate animae esse capitalem, & in Sanctum vere talem non cadere, cum articulus de vita aeterna hoc modo simul subruatur, totumque salutis fundamenrum. Argutiae, quas excogitat POIRETVS ad tam turpem errorem, quem dubio procul in suis & forte ipsa Magistra Bourignonia repererat, quodammodo palliandum, plusquam fanaticae sunt. Sicut enim Deum ideo non dicimus avarum vel ambitiosum, quod honorem suum regnumque per animas hominum vult amplificari: Ita non dici debet homo privatae utilitatis studio duci, quando Deum ideo amat, quia credit & sperat certo ab ipso vitam aeternam esse accepturum, alias evertenda esset ipsa Symboli Apostolici clausula: *Credo vitam aeternam!* Qui itaque

D 2

Deum

Deum laudat, etiamsi credat, in nihilum se redigendum esse, stolido & perverse eum laudat, sic enim Deum Paulus minime omnium laudavit, qui *cupit dissolvi & esse cum Christo*, & sic laudat ipsum in ipsa morte. *Philipp. I, 20, 21.* Multo minus absque blasphemia notabili adscribi potest Deo, quod *interdum sensum spei de vita aeterna & animae immortalitate adimat*, et si enim interdum tentationes satis graves etiam sanctissimis permittrat, ut in tali statu de Deo ipsis subdubitat tantisper coepirint, non tamen a tali extraordinaria conditione ad ordinariam hominum sententiam, quam scriptis & rationibus defendunt, rationis suae usu per omnia praediti, est concludendum, falsoque dicitur, quod *Deus Sanctissimus tales doctrinas immittat*, multoque minus quod approbet.

§. XIX. Unde etiam eo facilius de prioribus illis judicium serri jam potest, quomodo queant esse sancti, qui, *in errore doctrinae versantes, alios vere sentientes damnant*, eosque pro haereticis agnoscunt & proclamat? Aut enim fructus Spiritus Sancti aut diaboli erit; Tertium quidem non agnoscimus. Posteriorius ne dicere & fatari cogatur Poiretus, tricas & refugia varia querit, absque omni vero lucro. Falsum enim est, *THESES*, quantacunque sanctitatis specie effulserit, *SANCTAE nomen meruisse, vel sanctissimae exemplum praebuisse*: vel unum hoc, dum Lutheranos haereticos pronunciat, nequidem initia verae & salutaris doctrinae imbibisse, censenda est: alias judicium magis sobrium tulisset. Si habuit *inhabitans lumen Spiritus Sancti*, quomodo potuit in illa falsissima persuasione perdurre, in qua enutrita fuit, Lutheranos *esse hostes Dei, homines impios & Christianae rei pestes*? Dum eos extra viam salutis collocat, viam salutis nullatenus perspexisse eam, credi potest, alias Lutheranorum fidem ante salvificam de salute per solum Christi meritum fide apprehensum amplexa fuisset, neque adeo acerbe improbabilis. *Sanctum talibus praecudit laborantem* scriptura prorsus ignorat. Hoc vero omnium maxime vituperandum, quod perseverantium in tali errore absque vito esse credat

credat, ita, ut charitas ea non laedatur. Si hoc charitatis indicium est Poireto, Lutheranos pestem & haereticos salutare, valeat ipse cum suis sanctis, & habeat sibi suam charitatem. Non sunt tales erroris meri facti, neque hallucinationes, desultant enim ex pessima doctrina in animo radicata, ex qua deinceps tales damnationes oriuntur: tam grandes sane hallucinationes veram sanctimoniam laedunt, imo & fidem & Spiritum S. totaliter excutiunt, quod nos extra omne dubium ponimus. Neque rem palliare potest, quod Theresia aliquie tales sancti putatitii sub Papatu aut fanaticismo *pro nobis* orent. Hae preces enim ex falso principio ortae Deo non gratae esse possunt, si eo fine fiant, ut suorum errorum nos participes reddi velint. Tales intercessiones nos serio omnes in universum deprecavimus.

§. XX. Istud tandem omnem lectoris patientiam fere superat, quod horum errorum & coecitatis culpam in Deum sanctissimum benignissimumque conjiciat, qui illos suos sanctos, quos nominat, in talibus erroribus relinquat, neque extricare velit. Quaeris quam ob causam? ob nullam aliam, quam ne interficiantur inter illos homines superstitiones, cum quibus vivunt, sed ipsis lucrifaciant. Quasi Deo solenne sit artibus & fraudibus uti, & celare ac dissimulare veritatem ob vitam servandam, quod ne quidem in ullo homine unquam tulit, vel ad honorem suum amplificandum, quasi malis mediis unquam eum promovendum putaverit. Ita ex mente Poireti numen ignorat, quomodo ecclesiam tueatur, nisi id per errorem fiat, eumque vult doceri, ut pietas conservetur, vel potius superstitionis, qualis in Theresia & aliis, cum quibus vixit, viguit. Hocne vero est lucrifacere animas Deo, grassari in Lutheranos contumeliis, laudare suorum cultum perversum omniaque probare, quae manifeste sunt idololatrica? Itane unquam Prophetae, sacro spiritu afflati, rem suam egerunt, ut cultum perversum approbarent, & verum omnibus convitiis proscinderent? Et ubi legit POIRETVS in Scripturis, Deum ignoruisse Christi crucifixionem Iudeis non serio poenitentibus, in quos potius vindicatrice sua

D 3

justi-

justitia animadvertisit, & animadversurum se gravissime comminatus est. *Luc. XX, 16. Act. VII, 52.* Atque hoc ipsum exemplum comparationis jugulat causam Poireti. Nam dixerit quis Judaeos in media crucifixione Christi fuisse sanctissimos homines, eodem jure, quo Theresiam dixit sanctissimam, quando cultum suum laudavit, & Lutheranos tanquam pestem rei Christianae fuit acerbissime insectata. Quicquid responderit POIRETVS ad prius, ad posterius quoque sibi responsum esse videbit nullo negotio.

*S. XXI.* Ponamus tandem talia pertinere ad errores facti, quod tamen nunquam largiri potest rerum peritus, quomodo conciliabit POIRETVS illa cum sua ipsius definitione SANCTI hominis, quando eum describit, quod ex probationis divinae fornae totus defecatus dimittatur, & deinceps in nero elemento dominantis gratiae commoretur, nova sit creatura, omnesque ejus facultates divinae a fundamentis suis reparatae, per Spiritum S. directae gubernentur, qui eis utatur, prout ad Dei gloriam aliasrumque animarum emolumendum eas facere posse novit? *P. II. p. 374.* Errores enim illi aut antecedunt statum illum sancti, ergo non cadant in Sanctum qua tales, quod contra POIRETVM adstruimus, aut pertinent ad media purificationis, quod absurdissimum, aut ad qualitatem ipsius status sancti, quod itidem absque insigni absurditate asseri nequit, defecatum enim esse, & fecibus tamen errorum crassorum adhuc esse immersum, inter se e diametro pugnant. Unde parum abest, quin Fanaticorum turgidorum more, ipsos potius errores, interdum satis spurcos, quibus ipsi eorum Sancti laboraverunt, pro virtutibus & doctrinis sanctissimis declararet, ut supra de errore circa animarum immortalitatem observavimus, & infra circa eucharistiam aliasque doctrinas animadvertemus. Atque hoc alii quoque, qui in hoc luto haerent, usu venit. Ita JACOBVS BRILL pri-  
mum in statu conversionis omnes priores doctrinas, quas animo a juventute fuerit complexus, sese prorsus deposuisse, & sic per ignorantiam ad veram sapientiam pervenisse, credit. *So  
slo*

ist denn die Unwissenheit die Mutter der wahren Weisheit, die willige Armut der Ursprung des Höchsten Reichthums p. 61. Vult porro persuadere lectori, weil der freye Mensch, id est sanctus Fanaticus, in sich selbst blind ist, siebet er große Wunder durch das Göttliche Licht in ihm p. 29. & COECVS EST, id est errores habet, & lucem tamen videt, id est, aut veritatem habet, aut ipsi errores sunt veritas: quomodounque explicetur, inanis est sermo. Et quomodo non sint in sanctis fanaticis crassimi & foedissimi errores, qui toti in eo sunt, ut *veram cognitionem salvatoris non ex scriptura aut saltem non ex sola haurientiam toto collo clamant*. Hanc enim vocem rabidam idem ille JACOBVS BRILLIUS ingeminat in universo libro, *wahre und falsche Erkännntniß Jesu Christi*, ex quo apparet, in eo esse Fanaticos, ut salvatorem verum ex cordibus hominum eripiant, aliudque idolum mentis substituant, quod quomodo definiti ipsi inter se nunquam concordant. Audi hominem! Ubi de causa omnium errorum agit, ita tandem eructat: Nicht mehr als eine Sache ist die Grund-Ursach von allen Fehlern in der Erkännntniß Jesu Christi, das ist, daß man Jesum Christum will lernen kennen aus der Schrift, da man die Schrift muß verstehen lernen durch Jesum Christum. Man hält vor ausgemacht, daß man Jesum Christum nicht anders könne verstehen lernen, als durch die Schrift, und man sollte vielmehr bekennen, daß man Jesum Christum nicht könne lernen kennen durch die Schrift. Denn so lange die Schrift als das höchste Principium oder Anfang siebet, um zu kommen zur Erkännntniß der Warbeit, wird die Warbeit verfolget werden, und die Lügen oder Ungerechtigkeit auf dem Thron sitzen. p. 109. Hos vero sanctos esse credit Judaeus Apella, nos verbo Dei soli, tanquam lumini nostro ac lucernae pedum nostrorum, unice innitimus, & Sanctitatem omnem detestamus, quae aliunde, quam ex hoc principio originem trahit. Hi sunt vere, qui viam veritatis & sanctiratis omnem sub ipsa specie sanctimoniae singularis criminantur & perturbant z. Petr. II, 2. Dei tandem judicio, nisi resipiscant, relinquendi.

§. XXII.

§. XXII. QVINTVM fuit requisitum, ut Sanctus per baptis-  
mum in sinum ecclesiae sit receptus. Hic quoque argumentis  
multis opus non est, aut enim jam in *infantia* per baptismum  
regeneratus, & in societatem foederis cum Deo & ecclesia re-  
ceptus est, aut in *aetate adulta* ad ecclesiam veram ex statu Ju-  
daismi, Turcismi vel gentilismi transit, veramque Christi confes-  
sionem & doctrinam amplectitur, ubi pro vere sancto agnoscit  
non potest absque hoc Sacramento. Casus nonnullos extraor-  
dinarios hic non moramur, sed de eo loquimur, quod ad re-  
gulam & ordinem spectat, praescriptum claris & disertissimis  
verbis, quae reperiuntur Matth. XXVIII, 19. Marci XVI, 15. 16.  
ubi *institutio Christi* manifesta omnem dubitationem eximit, ac  
neminem in statum Sanctorum collocat, nisi fuerit baptizatus.  
Unde recte dicitur SANCTVS Baptismus, tum ob originem suam,  
formam & materiam, tum etiam ob effectum sanctitatis, qui  
exinde regulariter nascitur, hominique baptizato conferetur I.  
Petr. III, 21. Rom. VI, 34. ac deinceps per universam vitam  
continuatur, & multis incrementis augetur. Neque dubium  
est ex recordatione foederis in baptismo initi, *incredibiles solati-  
tii fontes* ad fideles dimanare, quod Apostolus ipse non dis-  
simulat Gal. III, 26. 27. ut non opus sit de veritate hac evangelica,  
inter omnes sincere credentes una mente apprehensa, multis  
fari. Conferri potest prae omnibus LVTHERVS comm. in c. XIX.  
Johannis T. VI. Altenb. p. 690. ubi de hoc solatio fusius agit.

§. XXIII. Hic vero POIRETVM longe sentire alia depre-  
hendimus. Primum Φεῦδος est admodum pericolosum, quod  
omnes ritus & ceremonias a Deo ipso etiam usque ad consumma-  
tionem seculi institutae, ad essentiam religionis aut vinculi, quo  
homines Deo alligantur & unituntur, minime pertineant, T. I.  
p. 716. de quo tamen ejus errore numero VIII. agemus. Fate-  
tur equidem alicubi *Sacra*menta esse media ac *velut* *canales*,  
qui gratiam atque benedictionem afferant incrementum omnibus,  
qui animo legitime preparato ex lege divinae institutionis inten-  
tionisque iisdem utantur P. II. p. 107. Unde etiam fatetur, se nec-  
quic-

quicquam velle, quod Sacra menta sint mera ac nuda distinctionis signa, nihilque in iis contineatur, nunquam enim Sacra menta, nunquam sine realitate fuisse in omnibus, qui iis utentes ita animati erant, ut Deo non displicerent. P. II. p. 107. Haec tamen dignitatem & efficaciam sanctissimi lavaci nondum explent. Nam vehementer in eo errat, quando ejus ἐνέργειαν ad subjecti capacitatēm restringit, cum in eo consistat, ut revera illam incapacitatēm subjecti auferre, & ipsum regenerare pos sit, quomodo enim alioqui Apostolus diceret lavacrum regenerationis? Si itaque jam sancti accedere teneantur ad baptismum, esset quidem Sacramentum confirmationis, non regenerationis & justificationis. In eo quoque non minus cum aliis errat, quod credit, Deum imitatum fuisse in hoc rito Iudaicos ritus P. I. p. 726. seque hac in parte segregatum dicit a SPENCERO & aliis, qui tales ritus plane a gentilibus eorumque imitatione repeatant. Totus cultus externus, scribit porro, quantus quantus est, non nisi ludi cuiusdam rationem habere videtur coram Deo, qui creaturis suis infirmis, balbutientibus & pueriliter ludentibus accommodare se non designatur, modo corda eorum ita attrahat sibi que faciat lucri. ibid. At quis ista persuasit POIRETO? quae nos conceptis verbis negamus. Quae enim sanctis Fanaticis videntur ludus, coram Deo sanctissima sunt. Neque dissitendum est, transcendere omne judicium nostrum, quare Deus creaturis ad salutem nostram, actusque gratiae exercendos, adhibere voluerit; faltem hoc certum est, neque ipsum *fuisse*, neque, ut pueriliter ludenter homines, voluisse. Quod addit, omnia homini velut sacramenta esse debere, cum nulla creatura inveniatur, in quam gratia reparatoris non sit effusa, p. 719. tum parum commode, tum parum vere dicitur, atque plane ab instituto nostro alienum est, cum non nostrum sit sacramenta facere ex creaturis, quia forte μυστήρια in se habere videantur, alias recte fecissent Aegyptii, quod solem, bovem, ranas ac crocodilos adoraverint, sed accuratisime institutis Christi est inhaerendum, quae non nudis constant ceremoniis.

E

§. XXIV.

§. XXIV. Ut vero POIRETVS viam sibi ac munimentum erroris, omnibus Fanaticis familiaris, paret, quo sanctum esse non baptizatum posse, credatur, scribit, baptismum esse institutum ideo, ut filii sanctitatis ac charitatis a filiis babylonis separarentur, adeoque usum ejus ad eos solos spectavisse, qui peccato jam mortui fuerint, neque illi amplius viverent, unde in istis, qui tales non essent, solum esse baptismum aquae, in sanctis vero verum baptismum Spiritus S. ignis administrari T. II. p. 109. ex eodemque fonte negat postremum baptismum pertinere ad infantes p. 114. Uci itaque nonnisi sanctis & fideibus illum dandum esse credit, ita his integrum esse arbitratur, utrum in se administrare eum velint. Tutijs equidem putat bonos & sanctos etiam suscipere baptismum aquae, donec illa & alia ceremonialia prorsus aboleantur p. 122. & quae plura sunt hinc inde sparsa, quibus solatio plena nostra doctrina ex verbo Dei recepta de baptismo obscuratur. Sicut vero realitatem ipse POIRETVS excludere omnem a baptismo non potest, ita causas nullas attulit, quare corruptum baptismum esse hodie credit, & cur non eandem efficaciam habere possit, quam olim sub institutionem Christi salvatoris haberet, nihil enim illi decedere potest per impietatem hominum, sicut nihil formae ejus accedit per hominum sanctitatem, cum omnis virtus ejus a solo verbo institutionis Christi dependeat. Neque etiam schismata ipsa, ad quae provocat POIRETVS, p. 125. seq. poterant corrumpere ac depravare effectum illum, quamdiu in forma & materia nihil mutilarunt; Quod ipse agnoscit POIRETVS, quando (an sincere? equidem ignoramus,) fatetur, ob abusus quosdam in Baptismo creditos surrexisse Anabaptistas, qui novam condere Hierosolymam vellent, quos tamen tantum absit a Babylone discessisse, ut potius Babylonem quandam aliam aedificaverint, priori quidem subtiliorem, at in qua plus periculi sit majorque hypocrisis, quam in ipsa prima. Ritus antiquos resursisse, Spiritum antiquorum non item, p. 129. Ita regnum Satanae invicta est divisum, & nihilominus parum abest, quin POIRETVS per omnia erroribus Anabaptisticis de Baptismo assurgat.

§. XXV.

§. XXV. Sufficit vero nobis rursus, haec esse POIRETI delicia cum aliis Fanaticis admodum communia, & velut ipsis domestica ac propria. Von der Wassertauffe mercke, was Paulus saget: Auff daß er sie heilige und reinigte durch das Wasser-Bad im Worte. Der Apostel verstehet nicht das äußere elementarische Wasser dieser sichtbaren Welt, sondern das Ein Elementarische Quint Essentialische Wasser des ewigen Lebens, das unter der Schwelle des Heiligtums hervorläuft, drieß ist die inwendige Wassertauffe, womit alle und iede Glieder dieser Kirche getauft sind. Hier ist aber auch eine andere Tauffe, nemlich die Feuer-Tauffe seiner Liebe, womit alle und iede Glieder dieser Paradiesischen Kirchen getauft werden zu ihrer Reinigung, Ps. IV, 3. der Geist des Ausbrenners ist der Geist seines brennenden Liebes-Feuers, welches in der Seelen Eigenschaften des inwendigen Menschen empfindlich als eine feurige Kohle gefühlet wird. Ita JOH. PORDAGIVS p. 3. Tr. de Paradiso p. 568. quasi vero in uno baptismo elementaris aquae, ex institutione Christi administrato, ipsa non fiat ablutio animae, & inhabitatio ejus a Spiritu S. vel ille hanc, vel haec illam excludat, quod omnia analogiae fidei summopere adversatur. Multo adhuc crassius JACOBVS BRILL inter suos errores extantiores, quibus ante conversionem fuerit repletus, etiam hunc refert, quod necessarium baptismum crediderit: So ich die äußerliche Tauffe nicht empfangen hätte, ich hätte gemeint, ich wäre ein Jud, Türk oder Heyde. Glaubens-Bekännniß p. 82. O wo der Geist des HErrn ist, da ist Freyheit von Speiß und Tranck, Freyheit von allen äußerlichen Personen, Ceremonien und Diensten: quorsum etiam refert baptismum. Freyer Mensch im Geist p. 87. Alter vero Salvator, qui ordinem illum a se institutum, non velut ceremoniam pro lubitu observari, sed instar medii salutis ac regenerationis certissimum apprehendi voluit. De quo vero nunc plura non differemus, sequentia momenta altera differentiatione excussuri. Deus benignissimus, qui nostrae ecclesiae coronam veritatis donavit, ut eam tueamur & sancte custodiamus, mentem semper servet incorruptam & intemeratam!

CLARISSIMVM  
DOMINVM  
M. RESPONDENTEM  
GRATVLATIONE VOTISQUE  
EXCIPIT  
PRAESES.


**Q**uid sit ἐντρέθεος illud Paulinum i. Tim. IV. 6. seu innutri in verbo veritatis, non melius cognoscitur, quam exemplo alicujus Consecranei & candidati sanctae disciplinae, a fidelibus doctoribus non modo instituti, verum etiam institutionem illam avide cupideque amplectentis, quo tandem modo velut tucci plenus redditur, & doctrinis coelestibus ita refertus, ut ex thesauro suo promere olim possit, quicquid auditoribus suis aliquando utile est ac salutare. Enimvero interesse non parum, quos cibos concoquas & digeras, utrum saltantes, an venenatos & toxico infectos, tot aegrotantium & mortuorum documenta docent. Multum itaque in eo sicutum est, ut Salubribus animus a juventute prima pascatur, nec testa prius fermento impuro imbuatur, eumque odorem servet. Quapropter Te, Amantissime Domine Magister, eo exquisitorie semper amore sum prosecutus, quo magis intellexi, id Tibi consilii fuisse propositum, ubi vela tui itineris Academici ad nos direxisti, ut saluberrimis optimisque pabulis veritatis coelestis, mentemque tuam refieres, nihilque crudum aut adversum scripturae sacrae admitteres, sed probe explorares omnia, explorata discriminares, & nonvisi probata pro Tuis haberes. Ita ἐντρέθος & innutritus me comite cathedrali Lutheri concendis, & Sanctos, quales Poiretus nobis describit, revera non esse sanctos eruditè evincis. Quod specimen Tuæ diligentiae, & animi ad praeclara omnia nati, uti Tibi ex animo gratulor, ita admodum Reverendo Parenti Tuo, integrissimo Viro, ex successibus fortunae Tuæ, quos haec tenus ex incrementis studiorum Tuorum percepit, gaudii fructus eo ampliores & extantiores tum precor, tum ominor, Tibique eam in rem Patronos benevolos, Tuæque felicitatis duces & auspices post Deum exopto quam promitisimos! Scribebam  
Witteberga die XXIII. Septembri A. O. R.  
MDCCXVIII.


94 A: 7347(1)



5b.

WMA





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Green

Cyan

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches

C. 24.

L. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

P R I O R

DE

# SANCTIS POIRETIANIS NON SANCTIS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO*

DN. FRIDERICO AVGVSTO  
ELECTORATVS SAXONICI HAEREDE

ETC. ETC. ETC.

PRAESIDE

MARTINO CHLADENIO  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, EJVSDEMQVE  
PROFESSORE PUBLICO, ET ALVMNORVM  
REGIO-ELECTORALIVM EPHORO  
EXCVTIENDAM PROPONIT

AD D. XXVII. SEPTEMBR.

ANNO M DCC XVIII.

M. CHRISTIAN. GOTTFR. ECCART  
LASTAVIENSIS MISNICVS.

WITTEBERGAE, STANNO GERDESIANO.